

fuerint que a temporibus predecessorum nostrorum usque ad obitum regis Guilielmi II juste et rationabiliter tenuit et possedit monasterium ipsum, concedimus et perpetuo confirmamus; presentis privilegii auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui dictum monasterium, te, fratres et successores tuos de predictis omnibus perturbare in aliquo seu molestare presumat, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus igitur concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Joannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Calatagironum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense julii, indictionis IX, imperii domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo, regni vero Sicilie anno quarto vicesimo (a), feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae de Monte Virginis donationem a Paulo comite Golisani factam, scilicet Roccellam cum rationibus suis, tertiam partem molendinorum Golisani et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem, concedit ac confirmat, reservato quod in predicta Roccella custodiam fieri faciat, sed amota clausula ista quae dicitur *salvo mandato et ordinatione nostra*.

In urbe felici
Panormi,
julio.

(Inedit. in Archiv. monast. Montisvirg., *Regest.* VIII, n° 84; ex transumpto originali facto mense madii 1251, none indictionis, regnante Conrado, ante magistrum Nicolaum de Trano, magnae regiae curiae judicem, ad requisitionem fratris Mauri ejusdem coenobii monachi.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex

(a) In *Diction. Mass.* legitur, sed male, *quarto decimo*.

Sicilie. Per hoc presens scriptum notum fieri volumus universis quod cum monachi et fratres monasterii Sancte Marie de Monte Virginis nobis humiliter supplicassent ut Roccellam (1) cum rationibus et possessionibus suis in qua sita est ad honorem Salvatoris ecclesia Sancte Marie de novo fundata que est grangia monasterii supradicti, ac etiam tertiam partem molendinorum Golisani et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem, sicut in instrumento et scripto publico a Paulo comite Golisani inde confecto plenius continetur (2), et quicquid aliud tam in possessionibus quam in libertatibus in eodem apertius declaratur ac ipsum monasterium nunc omnia predicta libere tenet et possidet, de gratia et benignitate nostra eidem monasterio concedere et confirmare nostra serenitas dignaretur; nos attendentes religionem ejusdem monasterii, obsequia etiam et orationes que ibidem Domino jugiter offeruntur, petitiones eorum benigniter admittimus, locum ipsum de Roccella cum rationibus et possessionibus suis in quo prefata sita est grangia et universos fratres ejusdem monasterii sub nostra protectione et defensione recipimus et tertiam partem molendinorum Golisani ac etiam tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem et quicquid in presentiarum juste tenet et quiete possidet, sicut in instrumento et scripto publico a Paulo comite Golisani inde facto plenius continetur [et] tam in possessionibus quam in libertatibus in eodem apertius declaratur ac ipsum monasterium nunc ea omnia libere tenet et possidet vel in antea prestante Domino justo titulo poterit adipisci, eidem monasterio

(1) Roccella, locus insulae Siciliae in territorio Golisani.

(2) Instrumentum vero continens donationem istam factam per *Paulum de Cicala Dei et regia gratia comitem Golisani et regie private Masnedie magistrum comestabulum*, datum fuit anno 1216, mense junii, quartae indictionis, apud Panormum. Quod quidem Henricus de Tocco, Roffridus de Sancto Germano et Guillelmus de Vinea magnae imperialis curiae iudices ad requisitionem Joannis abbatis Montisvirginis transumi et in scripturam publicam redigi fecerunt, anno 1213, mense augusti, primae indictionis, apud Melfiam; sicut constat ex pergam. origin. in eodem archiv., *Regest.* VIII, n° 80. Donationem ipsam edidit MASTRULLO, *Monte Vergine sagro*, p. 365, cui adsunt signa Pauli comitis, Sicae comitissae uxoris ejus, Andreae, Simonis et Matthaei filiorum ejusdem, Stephani de Partenico tunc magnae regiae curiae magistri justiciarii et aliorum.

Montis Virginis pro remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum recolende memorie et pro salute nostra perpetua in eleemosinam de novo damus, concedimus et in perpetuum omnia predicta confirmamus, reservato quod, sicut solitum fuit tempore regis Guilielmi felicis recordationis, in predicta Roccella custodiam fieri faciamus quandocumque fuerit opportunum. Preterea licet in quibuslibet privilegiis nostris illam clausulam jubeamus apponi que dicitur : Salvo mandato et ordinatione nostra, ab hujusmodi tamen privilegio de solita benignitatis nostre gratia quam pluribus jam monasteriis fecimus super clausula illa, eam omnino precipimus amovendam. Ad hujus itaque protectionis, donationis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum sibi fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense julii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesie Sanctae Mariae de Admirato in excambium sacrorum ejus vasorum quae ad sumptus belli sustentandos abstulerat, casale Scopellum cum suis pertinentiis, exceptis portu et tonnaria, concedit.

Panormi,
15 augusti.

(Memorat. ap. FAZELLUM, *De reb. sicul.*, dec. I, lib. 8, p. 181, et PIRRUM, *Sicil. sacr.*, t. II, p. 1359, § 5, ex originali in thesauro ecclesiae. Cum autem ambo ad ann. 1220 se referant, et Pirrus tertiam indictionem indicet, notas chronologicas non sine aliquo dubio ad hunc locum pertinere censemus.)

Datum Panormi, XV augusti.